

VIDO ANGELINO

De pronuntiatu restituto

In Italia, exile fuit et est cura et favor et studium quod attinet ad pronuntiatum restitutum; in scholis autem est penitus neglectus, si excludatur hic illic aliqua Universitas Studiorum; in ritibus liturgicis et apud viros doctos qui referant sententias Latinas, viget universim pronuntiatio quam appellamus Italicam vel Vaticanam.

Tempore hodierno, quaestio quomodo lingua Latina esset pronuntianda, exsurrexit et disputari coepta est, postquam haberi initi sunt Congressus Intereuropaei et Internationales de lingua Latina deque eius usu hac nostra aetate.

Ut par est, unusquisque particeps libere sua nativa Latina pronuntiatione utebatur atque ita non parvae oriebantur difficultates oratoribus ad invicem se intelligendos. Anglus enim adseverabat Galliam divaisam esse in partis tris, francogallicus saepe accentus tonicis in extrema verborum syllaba ponere non dubitabat et kekidere et Kikeronem Theodiscus pronuntiabat, suas asperas adhibens gutturales.

In ipso Congressu, qui habitus est in urbe Avennionne anno 1956o cui maxime favit eumque rexit doctissimus et impiger vir Francogallicus Jean Capelle, ab omnibus latinistis praesentibus, decretum est ut tandem lingua Latina in Europa resurgeret viva, tamquam omnium virorum doctorum Europae lingua vehicularis, non vero praedita implexa et architectonica illa structura, qua ditatam se offert in paginis Classicorum, sed plana, recta et incondita, qualis a Romanis in viis, domi, in foris adhibebatur, qualis nempe est quaelibet lingua colloquialis. Praeterea expressum est optatum ut ab omnibus adsumeretur pronuntiatio restituta, id est pronuntiatu classicus, ille ipse quo utebantur cives Romani tempore Caesaris et Ciceronis et qualis circumscriptus et definitus, iam fuerat subtilibus accuratisque indagationibus a philologis, cuncta Auctorum Latinorum, opera pervestigantibus, inquirentibus si forte in eorum paginis mentio inveniretur, etsi cursim, de more Romanorum pronuntiandi vel vocales, vel consonantes, vel diphthongos, per annos primi saeculi a.Ch.n.

Quod omen, initio, in Italia fere ab omnibus neglectum est; quidam autem praeclarus professor Universitatis Studiorum non dubitavit haec in quodam Periodico Italico (Epoca, 31/01/1957) edere: «Sento con raccapriccio pronunciare ecce e cognosco come lo direbbe un Tedesco e mi ribello!» (Horrescens audio aliquem pronuntiantem ecce et cognosco ut ea pronuntiet aliquis Theodiscus, et reluctor!)

Hodie, contumaces fautores pronuntiatu restituti sumus nos, qui appellamur neolatinistae, illi nempe quibus arridet nova quaedam methodologia docendi et discendi linguam Latinam, secundum quam ipsa lingua Latina consideretur et discatur tamquam lingua viva, qualis in cotidianis sermocinationibus a Romanis adhibebatur, demissa et simplex, neglectis elegantis et inversionibus; quae quidem lingua latina vivere perrexit per saecula Medii Aevi, Humanismi et Renascentiae et per aetatem Illuminismi,

velut lucidum instrumentum communicationis inter doctos et in scholis, penitus discrepans ab exquisita et architectonica lingua qua, illis ipsis saeculis, utebantur poetae et prosaici (Ven. Fort.), certantes cum Classicis Latinis.

Quae duplex lingua latina in Europa adhiberi non destitit usque ad bella Napoleonica, quo tempore lingua Francogallica, per totam Europam pervulgata, pedetemptim se tamquam communem linguam virorum doctorum in locum linguae Latinae substituit, ac Latina lingua Auctorum Classicorum in sua exulta et ardua structura in scholas secessit, veluti aptissima studii materies ad discipulorum intellectus agiliores et penetrantiores reddendos.

Inspiciamus nunc quinam sint exitus callidae philologorum scrutationis ad pronuntiationem classicam definiendam, eam id est quam Romani temporibus Ciceronis usurpabant.

Incohemus a diphthongis ae et oe.

Diphthongus ae ducitur ab archaico ai (inspiciatur sepulcralis titulus Scipionum) in quo insculptum est vocabulum aidilis, loco aedilis, (quae diphthongus ai perget adhiberi, praesertim in poematibus aetate augustea, veluti elegans archaismus.)

Aetate Ciceronis, diphthongus ae pronuntiabatur vocalibus distinctis, dum contra in sermone rustico, ipsa iam sonabat e, quod clare confirmatur a Varrone (116-27 a.Ch.n.), qui adnotat (Ling. Lat. 9, 96) rustici Mesium dicunt, non Maesium.

Spectetur quoque formula qua indicabantur triumviri monetales, delecti ad flanda et ferienda metalla triumviri auro, argento, aere flando feriundo.

Prior agnominatio (ital. «allitterazione»), quae figura est satis frequens, praesertim in vetere lingua Latina, deletur, si loco aeris legatur eris.

Ceterum, adhuc aetate Martialis (40-104 p.Ch.n.) diphthongus ae efferebatur vocalibus solutis. Cum amicus quidam et poetae et globo amicorum suum ostendisset praedium diuque in explicationibus moratus esset, sic nimis prandium prolatans, sic ad eum se vertit poeta:

Errasti, Lupe, littera sed una,
nam quo tempore praedium dedisti (= nobis ostendisti mirandum)
mallet tu mihi prandium dedisses (II, 18, 25 ss.).
Littera qua Lupus errat, est e vocabuli praedium, loco n vocabuli prandium.

Quod attinet ad diphthongum oe, diu pronuntiata est separatim et coaluit in e multo serius quam ae.

Qui ergo pronuntiatum restitutum sequi decernat, utramque diphthongum enuntiet seiunctim: Roma-e, la-etitia-e, pò-ena, Cà-esar, po-enitentia ...

Disseramus nunc de consonantibus c et g, quae, si sequuntur vocales i et e, a gutturalibus (vel velaribus, vide costanza, curare, casa et gallo, gufo, goccia), fiunt palatales (vide cibo, celeste, et giro, genio). In lingua vero Latina, usque ad saeculum V, ambae pronuntiabantur velares (gutturales). Audiatur Quintilianus (Inst. 1, 4, 7-9) Grammatici in hanc descendunt rerum tenuitatem, desintne nobis necessariae litterae... an rursus aliae redundant... ut k. et addit Quidam eam (id est k) quotiens «a» sequatur, necessariam credunt, cum (contra) sit littera «c» quae ad omnes (omnes) vocalis (vocales) vim suam perferat (Inst. 1, 7, 10 - id est, littera k est consonans superflua, cum, existat «c» quae offert eundem sonum omnibus vocalibus).

S. Hieronymos (347-420 p.Ch.n.) in «Liber interpretationum hebraicorum nominum» (Adriaen, pag. 137) idem exprimit, sic aperte scribens: k litteram nos superfluum habemus et, exceptis Kalendis, per «c» universa exprimimus. Praeterea, ipse Hieronymos, transcribens latinis litteris nomina hebraica, adhibet pro kof (quae sonat sicut «k» graeca) litteram Latinam «C», sive sequantur o, a, u, sive e et i.

Ceterum, inscriptiones funerariae Latinae, quae plerumque patefaciunt usum vivum linguae, non raro commutant k pro c. Sint exempla: Markellino (CIL, V, 3555), Dekem(bris) (CIL, I, 1038).

Quod autem g quoque pronuntiabatur velaris, hoc clare evincitur hac sententia S. Augustini (354-430 p.Ch.n.), qui in Doctrina Christi (2, 24, 37) adfirmat: Cum dico «lege», in his duabus syllabis, aliud Graecus, aliud Latinus intelligit, id est vir Graecus et vir Latinus, audientes idem vocabulum, aliter id interpretantur: unus enim intelligit legas, alius loquere, quae animadversio postulat illud vocabulum pariter enuntiarum in utraque lingua.

Qui ideo optet pronuntiatum restitutum sequi, sic leget, skio, skientia, skintilia, Skipio... atque similiter ag-nus, cog-nosco, dig-nus, ghenus, ghigantes, ghig-no...

Primo saeculo a.Ch.n., trigramma ti+vocalis legebatur ut est scriptum. Solummodo saeculo II p.Ch.n., loquentes Latine incipiunt (ut iterum depromitur ab inscriptionibus funerariis) gradatim propinquare ad consonantem z, quae oritur ex duarum consonantium d+s copulatione (conferantur CRESCENTSIA(US) (CIL XIV, 246, quae hodie dispersa est), VINCENTSA (CIL VIII, 16208), LAURENZIO (CIL 12396). Saeculo IV, iam ab ipsis grammaticis, mutatio normalis et legitima esse censetur, ut depromitur a grammatico Papirio: iustitia cum scribitur, tertia syllaba sic sonat quasi constet ex tribus litteris «tzi».

Aliquantum implicata est quaestio quae pertinet ad u, quae, cum scribitur grandis (ital. «maiuscola») sic signatur «V». Si post eam sequatur vocalis, a Nigidio Figulo (+ 45 a.Ch.n.), ea censetur non vocalis esse, sed consonans: Si quis putet praeire «u» in his «Valerius, Vennonius, Volusius», errabit, quod haec littera, cum praeit, ne vocalis quidem est. (Apud Gell. 19, 14, 6), agitur nempe de vera et propria consonante.

Quintilianus addit: In ipsis vocalibus, grammatici est (statuere) an aliquas pro consonantibus usus acceperit... quia «u» in uos, sicut in tuos (scribitur); id est, in tuos, «u» est mera vocalis, contra in uos (= vos), sicut in exemplis quae attulit Nisidius Figulus, est quodammodo consonans, cum praecedat vocalem, ergo scribenda esset aliter. Alio loco addit: Nostri praeceptores «seruum ceruumque» «u» et «o» scripserunt (id est scribebant haec duo vocabula sive seruum vel seruom, sive ceruum vel ceruom), neutro sane modo vox, quam sentimus, efficitur (id est neque una neque altera scriptura reddunt exacte sonum qui efficitur cum pronuntiamus utrumque substantivum) et concludit: in his «seruus» et «uulgus», Aeolicum digamma desideratur (Inst. 1, 4, 26), id est in his casibus desideratur praesentia alicuius litterae quae accedat ad labiodentalem. «v».

Est nonnullius momenti adnotare imperatorem Claudium (41-53 p.Ch.n.), ut sonum exprimeret litterae «u» praevoicalicae, inseruisse in Latinum alphabetum novam consonantem, id est Digamma eolicum «inversum», sic «»; conferatur Minera (CIL, IV, 204). Mos vero iste novus cito neglectus est.

Si ergo revocetur Nigidi Figuli sententia, quam supra attuli: Si quis putat praeire «u» in Valerius... errabit, quod haec littera, cum praeit, ne vocalis quidem est ac pariter si sententia Quintiliani commemoretur, qui optet praesentiam aeolici digammatos in ceruus, et novatio imperatoris Claudii (Minera), facilis erit illatio: quotiens «u» sit praevoicalica, consideranda erit consonans, non vocalis; sive sit initialis, sive interna, sive finalis.

Quod autem attinet ad repetitam elatamque vocem cuiusdam venditoris qui ficos venditabat in Brundisino portu, clamitans «Càuneas» (id est «vendo ficos advectas ab urbe Cauno»), illis ipsis diebus cum, Crassus, Parthos aggressurus, legiones imponebat in naves, qua in expeditione mortem horrendam ipse erat obiturus, fuerunt nonnulli, ut ipse Cicero refert (div; 2, 40), qui vocem illam interpretarentur cave ne eas, veluti nuntium ipsius fati, quo Crassus ne prosequi pergeret, praemoneretur.

Hinc aliqui philologi existimant concludi posse illud cave ne eas legi debere caue ne eas, ergo «u» antepositam vocali, universim vim habere vocalis, at perperam mea sententia; nam in Càuneas, «u» est vera vocalis, sicut pars diphthongi, contra in aptanda locutione venditoris, ut vim haberet praemonitionis, ideoque in ea commutanda in cave ne eas, «u» facta est praevoicalica, ergo articulata ab ipsis interpretibus-aptatoribus quasi digammon.

Simili modo, qui censeant ex falsa etymologia Aelii Stilonis pituitam, quia petit vitam (ex Quint. Inst. 1, 6, 36) deduci posse paritatem inter u et v quoad pronuntiationem, non animadvertunt «u» in pituita esse veram vocalem, seiunctam ab «i» praedita accentu, contra in vitam, «u» (vel «v») efficit sillabam cum «i» ergo est praevoicalica, ergo adsumit pronuntiationem, ut ita dicam, digammaticam, cum sit vera consonans.

Idem, adnotetur de formis domui, domueram, consului, consuluisti..., ubi «u» est vocalis brevis rigide distincta a vocali sequente (consulatur A. Traina-G. Bernardi Perini: Propedeutica al Latino universitario, Bologna, Patron, 1995, V, pag. 182-3).

Mea quidem sententia, tantummodo in vocabulis uagio et uauatonem (vocabulum quod significat «infantem modo natum, qui clamose vagit») (Petr. 63, 8), onomatopoeia adducere potuit ad pronuntiandum, in illis, «u» tamquam vocalem, quamvis esset praevoicalica, ergo consonans. Ceterum in nonnullis linguis romanis, «ua» mutatus est in «va» (vide ital. «vagire», francogal. «vagir», hispan. «vagido»), et mirum est Pascoli quoque in carmine suo, cui titulus «Ov'è?», percepisse in vagitu infantium labiodentalem «v».

Ut res se habet, cum in incerto sit sonus, ut ita dicam «digammaticus» litterae «u» praevoicalicae latinae, cuius sonum Quintilianus alique animadvertentibus diversum a sono vocalis «u», nos neolatinistae, ut exstet uniformitas et perspicuitas cum legimus Auctores Latinos et cum inter nos Latine colloquimur, scribemus atque pronuntiabimus «u» praevoicalicam per consonantem «v», scribemus igitur et dicemus vita, vulnus, vulgus, caveo, vivo, vigilia, invideo, viduivium (ital. «vedovanza»), loco scripturae et lectionis uita, uulnus, uulgus, caueo, uiuo, uigilia, inuideo, uiduuium, quam scripturam et lectionem hodie quoque sequuntur illi qui pro certo habent in lingua latina «u», sive vocalem sive consonantem, eandem pronuntiationem habuisse.

Addatur nunc brevis excursus de aspiratione (cuius signum in Latina lingua est «h»), quem nobis offert ipse Quintilianus (Inst. 1, 5, 20): cuius (id est aspirationis) quidem ratio mutata cum temporibus est. Parcissime ea veteres usi (sunt) etiam in vocalibus, cum aedos ircosque dicebant. Diu deinde servatum est ne consonantibus adspirarent, ut in Graecis et triumphis. Erupit brevi tempore nimius usus (ita ut) choronae, chenturiones, praechones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re nobile Catulli epigramma est (agitur de carmine 84, quo poeta iocose ludificat Arrium quendam, qui putabat se eleganter loqui, pronuntiantem chommoda et hinsidia).

Post autem Quintilianum (35-96 p.Ch.n.), dum grammatici et viri docti aspirationem adhibere pergunt, praesertim cum «h» est consonans initialis, spiritum asperum graecum imitati, mos ingruit neglegendi aspirationem. Quem morem adtestatur S. Augustinus, qui adnotat: Si contra disciplinam grammaticam, sine aspiratione primae syllabae «hominem» quis dixerit, magis displiceat hominibus, quam si contra tua (nempe Dei) praecepta hominem oderit (Conf. 1, 19, 29).

Nos autem neolatinistae aspirabimus ubicumque invenitur «h» ergo aspirabimus pronuntiantes homo, hospes, humanitas, mihi, comprehendo... et neglegemus aspirationem in th, ch, rh, nimis incommodae pronuntiatu, et relinquemus nepotibus Arrii munus articulandi quatuor consonantes coniunctas cum quadam aspiratione, quotiens illis pronuntiandae erunt th, ch, rh, et ph, atque pergemus pronuntiare ph per f.

Concludam addens indicem praeceptorum quae sequatur qui sibi proponat ad vitam revocare pronuntiatum linguae Latinae, qui magna probabilitate in usu fuit aetate Ciceronis Caesarisque, ita ut pervium sit omnibus linguam Latinam excolentibus invicem communicare atque inter se lucide intelligere.

Adnotetur autem, quamvis variationum numerus sit exiguus, tamen illis qui diu linguam Latinam secundum suae nationalis loquelae morem pronuntiauerint, opus erit, praesertim pro nobis Italis, aliquantum temporis et sedulitatis ut potiamur et expedite adhibeamus pronuntiatum restitutum.

I Diphthongi «ae», «oe» pronuntiantur vocalibus dissociatis, ergo Romae Roma-e, poena = pò-ena, poenitentia = po-enitentia.

II Consonantes «c» et «g», sunt semper velares (nempe gutturales), ergo Ciceronem = Kikeronem, scintilla = skintilla, agnus = ag-nus, scio = skio...

III Syllaba «ti» coniuncta cum alia vocale, pronuntietur sicut est scripta, ergo gratia = gratia, actio = actio, fortius = fortius..

IV Ubi cumque invenitur «h», fiat levis aspiratio (homo, horror...; ph pronuntietur «f»); neglegatur quaelibet aspiratio in th, ch, rh.

V Ubi cumque in paginis antiquorum Auctorum Romanorum inveniemus vocalem «u» praevoallicam, eam scribemus et pronuntiabimus «v», nos dissociantes ab illis qui autumant litteram «u» in lingua Latina semper vim habuisse vocalis «u», inepte posthabentes locos Auctorum quos supra attento perpendimus.

VI «Y» quae apparet in vocabulis a lingua Graeca depromptis, pronuntietur sicut hodierna «u» francogallica.

Si autem in Europa diffundatur non modo restituta pronuntiatio, sed, ipsa lingua Latina incipiat doceri et disci eadem methodo qua hodie docentur et discuntur linguae hodiernae, si nempe iam a prima praelectione magistri linguae Latinae callide et lente misceant linguam patriam et Latinam, dum primas elementares notiones de lingua Romanorum explicant, vertentes nonnulla verba patria in Latinum, quorum numerus sensim crescat, ea lente atque clare articulantes, eveniet ut discipuli pedetemptim deponant Latina vocabula in sua mente, sic parvum lexicon Latinum sibi exstruentes, quod gradatim augebitur et locupletabitur.

Tandem, attracti magistri exemplo, ipsi quoque incohabunt, caute et cunctanter, Latine respondere planis magistri rogationibus et ipsi quoque se Latine exprimere ordientur et simplicissimos dialogos Latine inter se conserere. Postquam autem per aliquot menses magistri et discipuli in hac methodo immorati sunt, tunc poterit contactus incipi cum Auctoribus Latinis, ordientes a simplicioribus, semper vero linguam Latinam et patriam miscentes, sive in explicationibus grammaticalibus et syntacticis, sive in proponendis et in explicandis Auctoribus. Paulatim, lingua Latina linguae patriae antecellere incipiet, et cum discipuli ad classes superiores et ad Universitatem Studiorum accedent, iam valebunt sua cogitata limpido sermone Latino patefacere, quem nos Neolatinistae colloqualem appellamus, atque auctores Latini non iam ab illis considerabuntur quasi abstrusi et ardui et longinquissimi Scriptores, sed veluti concives eiusdem amplissimae reipublicae Latinae,

Parva nota bibliographica

Qui cupiat quaestionem de pronuntiatu restituto pernoscere, consulat librum Alfonsi Traina, cui titulus L'alfabeto e la pronuncia del Latino, Bologna, Patron, 1973, IV editio, integrationibus aucta.

Agitur de libro non modo translucido sed etiam miram doctrinam patefaciente. Ditissimam offert bibliographiam.

Quod attinet ad varias sententias de hac quaestione, consulatur Periodicum, Maia (n. 18, 1966, pp. 254-62, et n.19, 1967. pp.225-278) ubi docte et diserte disputant de scholastica pronuntiatione linguae Latinae Bonfante, Traglia, Turolla, De Felice, Alfonsi, Traina, Mariotti, Ghiselli, Barchiesi, Scarpat.

De neolatino ac de Neolatinistis, consulatur Periodicum Sistematica, domus editrix «Pergamena», Milano, n. 105, Quaderno secondo, a. 1997, G. Angelino «Sul Latino vivo» pag. 93.

Magni momenti est, dissertatio Alberti Vaccari (L'Osservatore Romano, 14 Marzo. n. 60, pag. 5) in qua Auctor demonstrat, fretus locis Hieronymi et Augustini, saeculis IV et V consonantes; «c» et «g» adhuc pronuntiari gutturales atque concludit proponens ut eiusmodi pronuntiatio iterum in Ecclesia Catholica renovetur, “altrimenti si darebbe argomento di pensare che la Chiesa, in un punto che particolarmente la riguarda, si lascia superare dalle istituzioni laicali” (aliter offeratur argumentum cogitandi Ecclesiam, quoad punctum quod peculiariter ad eam spectat, sinere se ab Institutionibus laicis superari), per quas, videtur Auctor subintelligere, pronuntiatio restituta iam sensim diffunditur, strenue adiuvantibus, ipse addo, Neolatinistis.

<http://www.maurouberti.it/latino/documenti/testi/angelino/pronuntiatus/pronuntiatus.html>